

Dissertatio CCIX.

98

Virtutem suam ostendere sed in omnibus alis infantibus se similem exhibebat. Unde Leo Papa in serm. de Epiphania dicit, quod Magi viderunt, & adoraverunt puerum Iesum quantitate parvulum, aliena opis indigum, fandi impotem, & in nullo ab humana infante generalitate dissimilem. Ambrosius tamen super Lucam videtur hoc magis referre ad membra diaboli. Pramissa enim hac ratione, scilicet de fallendo Principem mundi, subdit: Sed tamen magis fitellit principes saeculi: Daemonum enim malitia facile etiam occulte depredantur, at vero qui secularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt.

Tertia causa est, ut per Joseph genealogiam demonstraretur Mariæ; ac Christi Domini origo; Judæi enim non in more habebant descriptionem generis ducere, per Avos, Atavosque matris, sed patris. Ita assertunt Hieronymus loc. cit., & post ipsum Damascenus lib. 4. de fide cap. 15. verbis hinc: Quo circa seire opera precium est, nec apud Hebraos, nec apud Scripturam Sacram hoc in more possum fuisse, ut mulierum genus recenseretur. Verum hoc demum lege cautum erat, ne tribus ulla uxores ex altera tribu accerserentur.

Quarta causa est, ut B. Virgo per Virtutem haberet adjutorium ad prolem, educandam, fovendam, atque regendam, Et ut in peregrinatione Joseph esset ipsi comes, & ductor ad pueri tutelam; & denique, ut totam familiam arte, industria, ac laboribus aleret, ac substentaret. Hanc causam innuit quoque Hieronymus lib. 1. Comment. in cap. 1. Matthæi scriptens: Tertio, ut in Aegyptum fugiens, haberet salutem.

Dicimus III. Matrimonium inter Mariam, & Joseph, fuisse contractum, atque perfectum ante Filii Dei incarnationem, tam quoad essentiam, quam quoad solemnitatem. Est contra Cajetanum negantem incarnationis divinæ tempore fuisse celebratam inter Mariam, & Joseph nuptiarum solemnitatem. Est pariter contra alios credentes tempore Annunciationis Angelicae Mariam, & Joseph habuisse quidem simul, sed inter ipsos nuppiarum solemnem celebrationem nondum intervenisse. Est denique contra plures, qui dicunt, Mariam fuisse Josepho matrimonio junctam mense tertio post Angelicam salutationem, & Dei Verbi Conceptionem.

I. Probatur. Authoritate SS. Patrum, Chrysostomi hom. 4. in cap. 3. Matthæi, Am-

brosii lib. 2. in Lucam cap. 1. Chrysologii serm. 175. Euthimii in cap. 1. Matth. Bernardi homil. 2. super Missus est, S. Thomæ 3. pars. qu. 29. art. 2. ad 3. Et quanvis defendantes tertiam sententiam pro seipsis adducunt Larvarum Origenem homil. 1. in diversa Evangelii loca, Hieronymum, Hilarium, Theophilactum in cap. 1. Matthæi; Epiphanium heresi 78. Basiliūm homil. de Christi nativit. 1. Cyrillum cathechesi 12. nihilominus, si attentius praedictos Patres legissent, & connexionem inter principia ab ipsis alias posita intendissent, non illos pro sua opinione citassent.

II. Probatur. Maria Virgo debuit esse matrimonio juncta, ne fornicaria putaretur a Judæis, si peperisset innupta: ergo antequam ab Angelo salutaretur, & antequam Christum conciperet debuit esse matrimonio juncta. Probatur consequentia. Si fuisse matrimonio juncta post Angelum salutantem, & nunciantem factum, peperisset ante nonum mensem: ergo jam occasionem habuissent eam iudicandi adulteram, & factum ejus fornicarium. Quid confirmatur contra illos, qui dicunt, fuisse initium matrimonium tertio mense post montanam peregrinationem, quando inventa est in utero habens de Spiritu Sancto; tunc enim post sextum tantum mensem peperisset, adeoque vel graviditas non fuisse tributa Josepho, vel si fuisse tributa potuissent dicere Judæi, mysterium nescientes, quod habuissent carnalem copulam post contracta dumtaxat sponsalia de futuro, & nondum matrimonio de praesenti celebrato; quod nemo non vider, quam sit Sponsorum sanctitati, ac dignitati incongruum, ac indignum.

III. Probatur. Non fuisse Virginis partus diabolo celatus, si Deipara juncta fuisse matrimonio post angelicam salutationem, & non ante; sed Patrum est sententia Virginem fuisse matrimonio junctam, ut partus ejus diabolo celaretur, qui Christum non de Virgine, sed ex Josephi copula generatum putabat: ergo B. Virgo ante Angelicam Salutationem, & ante Christi Conceptionem fuit matrimonio juncta. Probatur major. Non potuissent Judæi existimare Christum genitum ex Josephi copula, quando vidissent matrem ejus antea gravidam, quam Josepho jungenteret, & parientem observalsent post sextum tantum mensem a matrimonio contracto: ergo non fuisse

Vir.